

## Cap. 19.

In illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jéricho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives: et quærebat videre Jesum, quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrrens ascendit in arborem sycómorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes: quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dóminum: Ecce dimidium bonorum meorum, Dómine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quádruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est; eo quod et ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat. *R.* Laus tibi, Christe.

Deinde benedicitur incensum hoc modo: Per intercessionem beati Michaélis Archángeli stantis a dexteris altáris incénsi, et ómnium electórum suórum, incensum istud dignetur Dóminus bene + dicere, et in odórem suavitátis accipere. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Postea Sacerdos ponat incensum super ignem, et incenset domum, dicens: Incensum istud a te benedictum ascéndat ad te, Dómine; et descéndat super nos misericórdia tua.

*V.* Dóminus vobiscum. *R.* Et cum spíritu tuo.

## Orémus.

Visita, quæsumus, Dómine, habitatióem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant: et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Postea domum, et habitatores ejus benedicat, dicens: Benedictio Dei omnipoténtis, Pa + tris et Fi + lii, et Spíritus + sancti, descéndat super hanc domum, et omnes habitántes in ea, et máneat semper. *R.* Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

## VISITATIO ECCLESIE PAROCHIALIS.

Cum Episcopus ad visitandam ecclesiam parochialem venit, dignior Sacerdos, seu hebdomadarius indutus pluviali albi coloris, et omnes clerici cum superpelliceis, præcedente cruce, exeunt ei obviam, ordinata processione ante fores ecclesiæ, et accedente Prælato, clerici cantant Antiphonam:

Sa-cér-dos, et Pón-ti-fex, et vir-tú-tum ó-pi-fex, pa-stor  
bo-ne in pó-pu-lo, o-ra pro no-bis Dó-mi-num.

Dum cantatur Antiphona, proceditur ad altare majus, ante quod sit ornatum faldistorium tapeto, et panno serico, ubi genuflectit usque ad finem orationis. Sacerdos dicit alta voce:

*V.* Salvum fac servum tuum. *R.* Deus meus, sperántem in te.

*V.* Mitte ei auxiliium de sancto. *R.* Et de Sion tuere eum.

*V.* Nihil proficiat inimícus in eo.

*R.* Et filius iniquitátis non appónat nocere ei.

*V.* Dómine, exaudi oratióem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

*V.* Dóminus vobiscum. *R.* Et cum spíritu tuo.

## Orémus.

Deus, humílium visitátor, qui eos patérna dilectióne consoláris, in quibus hábitas: prætende societáti nostræ grátiam tuam, ut in nobis tuum sentiámus advéntum. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Finita oratione, Episcopus ascendit ad altare, osculatur ejus medium, et benedicit populo solemniter: proponit verbum Dei: exponit causas adventus sui, et quid sit acturus. His expletis, eo die (si commode fieri possit) celebret Missam, vel alius vice ipsius, et ante concionem legatur edictum generale. Finita Missa, dat benedictionem. Deinde, si non celebravit, indutus amictu, alba, stola et pluviali albi coloris, visitat sacrarium Corporis Christi, hoc ordine: Ministrante aliquo ex dignioribus, vel diacono (si adest indutus) naviculam, ponit incensum sine benedictione, si sacrarium fuerit apertum, in thuribulo, et genuflexus incensat ter Sacramentum. Postea surgens prospicit, an sit sub fida custodia, et munditia, etc. Quibus finitis, facta iterum genuflexione ponit super patenam Hostiam majorem, quam populo ostendit. Interim clerici cantant hymnum Pange, lingua, gloriósi Córporis...

*V.* Panem de cælo præstitisti eis.

*R.* Omne delectaméntum in se habéntem.

Postea Prælatus dicit:

## Orémus.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passióis tuæ memóriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos Córporis et Sanguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptionis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis. *R.* Amen.

Statim reducit Eucharistiam ad sacrarium, et claudit. Postea Prælatus, si celebravit, deposita planeta et manipulo, assumit pluviale albi coloris, proceditque ad fontem Baptismi cum clero, et populo, præcedente cruce, et cereis accensis, et thuribulo; unus ex clericis deferat juxta Prælatus vasa Chrismatis, et Olei catechumenorum et alter vas Olei infirmorum; et cantetur interim responsorium, sive tractus, ut in Sabbato sancto.

Sic-ut cer - - vus de-sí - - de-rat ad fon-tes a-quá - - -  
rum, i - - ta de-sí-de-rat á-ni-ma me-a ad te De - - - us.  
*V.* Si-tí - - vit á-ni-ma me - - - a ad De-um vi - - -  
- - vum quando vé - - ni-am, et ap-pa-ré - - - bo  
an-te fá - - ci-em De - - i me - - - i? *V.* Fu-é - -



Vel cantetur Hymnus.



Cum perventum fuerit ad fontem, Prælati ponit incensum in thuribulo, ministrante aliquo naviculam ut supra: et super fontem visitat vasa Chrismatis, et utriusque Olei. Statim dicitur *Ps.* Spiritus Dómini replévit orbem terrarum.

*R.* Et hoc, quod contémnet ómnia, sciéntiam habet vocis.

Deinde Prælati dicit: Dóminus vobiscum. *R.* Et cum spírítu tuo.

Orémus.

**D**eus, qui corda fidélium sancti Spírítus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spírítu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudere.

**D**eus, qui diversitatem géntium in confessiόne tui nóminis adunásti: da, ut renátis fonte baptísmatis una sit fides méntium, et piétas actiόnum.

**E**cclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitatibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Postea Prælati, deposito pluviali albo, assumit nigrum, et fit processio a porta navis mediæ ipsius ecclésiæ, præcedente cruce, ut supra. Cantantur responsoria solemniter pro defunctis, ut in processionibus generalibus, cum orationibus Deus, qui inter apostólicos... Deus, véniæ largitor... et Deus, cujus miseratione... *R.* Nerecordéris... cum suis versibus, et orationibus Deus, qui inter apostólicos... Deus, véniæ largitor... dicitur in ecclésiá: aliud responsorium dicitur in cœmeterio cum suis versibus et oratione.

Oratio.

**D**eus, cujus miseratione animæ fidélium requiescunt, fámulis et famulábus tuis ómnibus, hic et ubique in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum: ut, a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læténtur. Per Christum Dóminum...

Revertentés ad ecclésiám cantant *R.* Libera me, Dómine... cum suis versibus et oratione Fidélium... quæ dicitur in medio ecclésiæ, et in fine.

*Ps.* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

*R.* Et lux perpétua luceat eis. *Ps.* Requiéscant in pace. *R.* Amen.

Mox Episcopus elevata dextera producit signum crucis ab omni parte supra sepulturas, et sic finitur officium. His peractis, poterit Pontifex procedere in visitatione. Si Episcopus personaliter ecclésiám non visitet, sed alius vice ipsius, omitatur processio receptionis; et reliqua omnia peragantur, ut superius est annotatum.

#### MODO DE ANUNCIAR LAS FIESTAS EN LOS DOMINGOS.

**E**l miércoles ó jueves etc. celebra la Iglesia la festividad del glorioso S. N.: es fiesta de guardar, so pena de pecado mortal. Avisen si trae vigilia de obligacion de ayuno, ó hay algun jubileo aquella semana, ó indulgencia, ó se saca ánima por la bula de la Cruzada; si hay procesion de letanías, ó por alguna necesidad pública. Luego se diga por los pecados veniales la confesion general. Acabada, en tanto que ellos dicen: Señor, pequé, habed misericordia de mí, diga: Misereátur vestri omnipotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perducát vos ad vitam ætérnam. Amen. Indulgéntiam, absolutiόnem, et remissiόnem peccatórum nostrórum tribuat nobis omnipotens et miséricors Dóminus. Amen.

Encárgueles algun Pater noster, y Ave María, por la paz y concordia entre los reyes y príncipes cristianos, extirpaciόn de las herejías y aumento de la santa fe católica, y asimismo si hubiere alguna necesidad pública presente.

#### AMONESTACION PARA CONTRAER MATRIMONIO.

**N** hijo de N. y de (ó viudo de) N. de esta parroquia (ó de tal parroquia) y N. hija de N. y de (ó viuda de N.) asimismo de esta parroquia (ó de N.) quieren contraer matrimonio por palabras de presente, como lo manda la santa madre Iglesia: si alguno supiere algun impedimento de consanguinidad, afinidad, ó espiritual parentesco, ú otro algun impedimento por donde este matrimonio no se pueda contraer, me lo manifieste. Esta es primera (ó segunda) (ó tercera) amonestacion.

#### ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM.

**D**ie Dominica in sacristia præparato sale et aqua, Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad hoc deputatus, alba vel superpelliceo indutus, cum stola circa collum, primo dicit *Ps.* Adjútorium nostrum in nómine Dómini. *R.* Qui fecit cœlum et terram. Deinde absolute incipit exorcísmum salis. Exorcízo te, creatúra salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Eliséum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterilitas aquæ; ut efficiáris sal exorcízatum in salutem credéntium; et sis ómnibus te suméntibus sánitas animæ et córporis; et effúgiat atque discédát a loco, in quo aspérsus fúeris, ómnis phantásia, et nequítia, vel versútia diabólicæ fraudis, ómnisque spírítus immúndus adjurátus per eum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. *R.* Amen.

Oratio.

**I**mménsam cleméntiam tuam, omnipotens ætérne Deus, humiliter implorámus; ut hanc creatúram salis, quam in usum géneris humáni tribuísti, bene † dicere, et sancti † ficáre tua pietáte dignéris, ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis, et quidquid ex eo tactum vel respérsus fúerit, cáreat omni immundítia, ómnique impugnatione spiritalis nequítie. Per Dóminum nostrum.

Exorcísmus aquæ, et dicatur absolute.

**E**xorcízo te, creatúra aquæ, in nómine Dei † Patris omnipoténtis, et in nómine † Jesu Christi Filii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spírítus † sancti; ut fias aqua exorcízata, ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum ini-

micum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. *R.* Amen.

## Oratio.

**D**eus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato, virtutem tuae bene + dictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos daemones morbosque pellendos, divinae gratiae sumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discendant omnes insidiae latentis inimici: et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, adpersione hujus aquae effugiat: ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum.

Hic mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel: Commixtio salis et aquae pariter fiat, in nomine Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + sancti.


*R.* Amen.

*V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

## Oratio.

**D**eus, invictae virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator; qui adversae dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis saevitiam superas; qui hostiles nequitas potenter expungas: te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur; et praesentia sancti Spiritus, nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum . . . in unitate ejusdem.

Finita benedictione, Sacerdos celebraturus, indutus pluviali coloris officio competentis, accedit ad gradus, et genuflexus accipit a diacono aspersorium, et aspergit primo ter altare, deinde se, et erectus ministros, semel singulos, incipiens Ant. *Asperges me*, Chorus prosequitur *Domine . . . ut infra: interim celebrans aspergit clerum, deinde populum, dicens Psalmum Miserere . . . totum cum Gloria Patri.*




Ant. A - sper - ges me,

Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealabor. *Psalmus.* Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

*V.* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: Sicut erat in principio et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Et repetitur Antiphona *Asperges me, Domine . . . Supradicta Antiphona praedicto modo dicitur in aspersione aquae benedictae in dominicis per totum annum, excepto quod in dominica de Passione, et in dominica Palmarum non dicitur Gloria Patri . . . sed post Psalm. Miserere mei . . . repetitur immediate Antiphona Asperges me, Domine hyssopo et mundabor: lavabis me . . . Excepto etiam tempore Paschali, scilicet a Dominica Paschae usque ad Pentecosten, quo tempore cantatur communiter:*



Vi - di a - quam

egredientem de templo a latere dextro, alleluja: et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent, alleluja, alleluja. *Psalm.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia ejus. *V.* Gloria Patri.

*Repetitur Antiphona Vidi aquam . . . In octava vero Pentecostes resumitur Asperges me, Domine . . . Finitis Antiphonis supradicto modo, Sacerdos, qui aspergit aqua, reversus ad altare, ante gradus altaris stans dicat V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam; tempore Paschali additur alleluja. R. Et salutare tuum da nobis.*

*V.* Domine, exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

*V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

## Oratio.

**E**xaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum . . .

*R.* Amen.

## BENEDICTIO PANIS.

*V.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit caelum et terram.

*V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

## Orémus.

**D**omine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus, et aeternae vitae, bene + dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes ex eo digne gustantes, inde corporis et animae desiderabilem percipiant sanitatem. Qui vivis et regnas.


## ORDO AD ASPERSIONEM

## AQUAE BENEDICTAE

## DIEBUS DOMINICIS FACIENDAM.

*Quamvis in appendice Manualis Toletani ordo ad faciendam aquam benedictam inveniatur; pro commodiori tamen Sacerdotis usu, ad illius calcem modus aspergendi populum aqua benedicta Dominicis diebus, characteribus non tam exiguis hic apponitur juxta Missale Romanum, et Bullam Gregorii XIII. Pastoralis officii . . .*

**S**acerdos celebraturus, indutus pluviali coloris officio convenientis, et cum ministris associatus; vel, si alius Sacerdos ejus loco populum aqua aspergat, alba et stola, aut superpelliceo et stola, et cum acolythis tantum, accedit ad altare majus, et ibi ad gradus cum ministris genuflexus, etiam, tempore Paschali, accipit a diacono aspersorium et primo ter aspergit altare, deinde se, et erectus ministros, incipiens Ant. *Asperges me*, et chorus prosequitur *Domine, hyssopo . . . ut infra. Interim celebrans aspergit clerum, deinde populum, dicens submissa voce cum ministris Psalmum Miserere mei, Deus . . .*




Ant. A - spér - ges me,

Chor. Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor.  
Psalmus Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.

Ÿ. Glória Patri..., et repetitur Antiph. Aspérges me...

Hæc Antiphona prædicto modo dicitur ad aspersionem aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum: excepta dominica de Passione, et dominica Palmarum, in quibus non dicitur Glória Patri; sed post Psalmum Miserére... repetitur immediate Antiphona Aspérges me.... excepto etiam tempore Paschali, scilicet a dominica Paschæ usque ad Pentecosten inclusive: quo tempore cantatur sequens



Ant. Vi - di a - quam

Chor. egrediéntem de templo a latere dextro, allelúja: et omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent, allelúja, allelúja. Psalmus Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus. Ÿ. Glória Patri...: repetitur Ant. Vidi aquam... In dominica vero Trinitatis resumitur Aspérges me, Dómine...

In die sancto Paschæ et Pentecostes, ubi est fons Baptismalis, fit aspersione cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismi, et ante infusionem olei et chrismatis accepta. Finita Antiphona supradicto modo, Sacerdos qui aspersit aquam, reversus ad altare, stans ante gradus altaris, junctis manibus, dicat Ÿ. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam; temp. Pasch. additur allelúja. R. Et salutáre tuum da nobis.

Ÿ. Dómine, exaúdi oratióem meam. R. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobíscum. R. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Oratio.

Exaúdi nos, Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus: et mittere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen.

## Index.

	pag.
Forma admonitionis pœnitenti faciendæ . . . . .	5
Circa cæremonias in Confessione adhibendas . . . . .	7
De cessatione a divinis . . . . .	9
De casibus reservatis . . . . .	10
De Sacramento Eucharistiæ . . . . .	15
De Sacramento Extremæ unctionis . . . . .	22
De Sacramento Matrimonii . . . . .	23
Ritus et Cæremoniæ Benedictionis nuptialis et Missæ pro sponso et sponsa . . . . .	27
Ritus et Cæremoniæ Missæ nuptialis . . . . .	29
De secundis nuptiis . . . . .	31
Benedictio agrorum ut ab eis locustæ, bruchi, et alia animalia noxia expellantur . . . . .	31
Benedictio terræ seminatae, seu plantatae . . . . .	33
Benedictio pro animalibus infirmantibus . . . . .	34
Ordo servandus in processionibus generalibus, quæ fiunt pro defunctis . . . . .	34
Ordo faciendi absolutionem . . . . .	35
Observatio notanda . . . . .	36
Exorcismus contra imminentem tempestatem fulgurum et grandinis . . . . .	36
Exorcismus . . . . .	37
Exorcismus domus a dæmonio vexatæ . . . . .	38
Visitatio Ecclesiæ parochialis . . . . .	40
Modo de annunciar las fiestas en los domingos . . . . .	43
Admonestacion para contraer Matrimonio . . . . .	43
Ordo ad faciendam aquam benedictam . . . . .	43
Benedictio panis . . . . .	45
Ordo ad aspersionem aquæ benedictæ diebus dominicis faciendam . . . . .	45

**Imprimi permittitur.**

Ratisbonæ, die 16. Maji 1882.

**M. Dandl, Vicarius in Spirit. General.**

